[illegible]A ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO NORIMBERGENSI

D. VIII. MENSIS AUGUSTI

RITE CELEBRANDA

RECTORIS ET COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

DR. HENRICUS WÖLFFEL.

INEST

EMENDATIONUM AD CAESARIS LIBROS DE BELLO CIVILI PARTICULA ALTERA.

NORIMBERGAE MDCCCLXVI.

TYPIS CAMPEANIS.

1866

Lib. II. c. 29, 1.

Atque in castris Curionis magnus *omnium* incessit timor: *nam* is variis hominum sermonibus celeriter augetur. Unusquisque enim opiniones fingebat et ad id, quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. Hoc ubi uno auctore ad plures permanaverat, atque alius alii tradiderat, plures auctores eius rei videbantur.

His describi quomodo auctus sit timor in castris Curionis, manifestum est; qua de causa aut quomodo incesserit animis, non demonstratur. Obortum timorem nec parvum eum quidem unicuique licet praesumere ex iis quae de taciturnitate militum Curionis, cum a Quintilio ad defectionem pellicerentur, proximo priore capite commemorantur. Sed qui tandem sint illi, qui timere dicuntur, quaerendum. Milites, cum in causa sint eorum aut facta aut verba, quo magis timor augeatur, ipsi non timent sed timentur. Non omnium igitur, sed eorum qui in consilium adhibentur (quod dimissum legimus c. 32, 1), tribunorum dico atque centurionum est timor, incessitque eorum animis necessario eo ipso puncto temporis, quum milites suos faustam Curioni significationem nullam facere animadverterent. Quare nequaquam in castris demum *incessisse* sed *magnus* incessisse dicitur *timor.* Quibus quidem verbis quum in sententia quae subjicitur respondeant: *nam is augetur*, facile suspiceris adverbium quoque *celeriter* suum habuisse praecursorem. Pro *omnium,* quos ipsa sententia limine pelli demonstravimus, rescribendum: *subito.* Sic demum optime adeo habet particula *nam,* addens unde qui *magnus subito* incessit *celeriter auctus* sit (i. e. magnus subito extiterit) timor, variis sc., ut fere fieri solet, hominum sermonibus. Qua id ratione? Sequentia docent. Fictae opiniones, addendo auctae, confirmabantur etiam pluribus, qui videbantur esse, auctoribus. Nimirum quae plures ipsi vel observasse vel audisse viderentur de suspecta militum voluntate, ea jam credebantur certissima esse. Quam in his proposuimus emendationem, videtur ea quidem justo audacior; sed ponas scriptum fuisse magnuSubito, et per compendium *magnus ùto* quod pro *oīu* = *omnium* perperam intellectum a librario est, cui nostrorum librorum lectionem debemus.

Ac jam aggrediamur locum (§. 2) paene desperatum, in quo cum multi viri docti parum adhuc feliciter desudaverint, nostram quoque qualemcunque operam eorum laboribus adjungamus. Atque tenendum ante omnia et pro certissimo habendum, nihil ibi nisi colloquia dubitationes haesitationes tribunorum ac centurionum referri, aut saltem significari. Qua de causa probandae non sunt eae conjecturae, quae verbum aliquod, ut *erat,* ante *civile bellum* suppleri aut etiam recipi jubent. Ejusmodi argumenta directa, quam vocant, oratione exhibere, Caesari non insuetum (cf. supra I, 7, 5. Quarum rerum illo tempore nihil factum; nulla lex promulgata e. q. s.). Descendit autem oratio quasi scala quadam posita ab causa timoris longius repetita ad eam, quae proxime urget, quattuor his gradibus: *civile bellum, — genus hominum, — legiones eae, quae paulo ante apud adversarios fuerant, — municipia etiam diversis partibus conjuncta.* Id jam vidit J. Müller, cujus tamen nec reliquae observationes omnibus rebus satisfacere nec emendatio loci ipsa quamvis sagacissime inventa omnes difficultates expedire videtur. Sed longum est de hoc potissimum loco aliorum refellere sententias; itaque meas pergam exponere emendandi loci rationes quam potero brevissime. Quattuor istis sententiis, in quibus cardo totius loci vertitur, intermixta sunt quae vel a Caesare addita vel ex sensu centurionum valeant ad explicandam rerum gravitatem.

Itaque ut demonstretur, cur *genus* potissimum *hominum* timeatur, adjecta sunt verba *cui liceret libere facere et sequi quod vellet,* quibus aperte timentium vel opiniones vel voces ostenduntur. Deinde Caesar additurus, qui factum sit, ut *legiones eae, quae paulo ante apud adversarios fuerant,* timerentur, quum ipsi tamen incolumitatis beneficio obstrictae tenerentur, ex librorum quidem auctoritate haec scribit: *nam etiam Caesaris beneficium mutaverat consuetudo, qua offerrentur.* In his quae indicativo dicendi modo efferuntur, Caesaris, quae conjunctivo, timentium sunt illorum in castris Curionis. Nec tamen satis bene ea verba habent vel recepta Oehleri emendatione: *qua offerrentur munera.* Regibus atque imperatoribus aut honoris causa aut re bene gesta solent offerri *munera,* non militibus gregariis, qui *donis* fere oblatis sunt contenti. Itaque, si me audis, legamus: *(nam etiam Caesaris beneficium mutaverat consuetudo) donaque quae offerrentur.* Sententia autem his explicatur: animadverterant diu tribuni ac centuriones, tempore interjecto (ut fert natura hominum ingratorum) consuevisse jam milites suos beneficio Caesaris, eoque uti tanquam jure suo, nequaquam memores, quantum victoris, qui ad Corfinium incolumes omnes servasset, clementiae deberent. Quare timendum esse conquerebantur, ut, praesertim quum Quintilius eos in spem largitionis adduxisset, etiam Caesaris beneficium milites a defectione retineret. Pompei enim causam eas legiones ab initio acerrime defendendam suscepisse et paulo ante Corfinii non sine gravissima Marsorum dissensione (cf. I, 20, 2.) nec nisi proiectos demum a Domitio reliquisse. Ex grammatica autem ratione junguntur *legiones eae, quae — fuerant donaque quae offerrentur* (sc. a Quintilio), ut tanto majorem oblatis donis suspicionem eae legiones timentibus movisse dicantur. Simili ratione in sequentibus quoque Caesaris argumentum miscetur cum significatis querentium vocibus. Quem totum locum emendatis emendandis ita scribendum censeo:

municipia etiam diversis partibus coniuncta; *aeque* enim ex Marsis Pelignisque veniebant, ut qui *superiora nacti contubernia cum illis essent.*

Ac jam Caesar, postquam descripsit conturbatorum animorum timores, redit ad rerum enarrationem:

Nonnulli graviores erant sermones militum; dubii durius accipiebantur; nonnulli etiam ab iis, qui diligentiores videri volebant, fingebantur.

Ex iisdem igitur Marsorum Pelignorumque municipiis veniebant utrique, et ii qui remanebant in castris Curionis et ii qui perfugerant ad Attium Varum. Diversis ergo jam partibus conjuncta erant eadem municipia, quae utrum transferre signa an inferre mallent, vix dubium erat. Jam vero qui perfugerant in illa castra, reverti non poterant, sequi eos poterant reliqui omnes.

Idque ipsum tanquam gravissimam causam timoris centuriones perhibentur secum volutasse, frementes: superiora contubernia cum illis (sc. cum Pompejanis sive adversariis) nactos esse qui ex Marsis perfugissent ad Varum; jamjam suos milites, ex iisdem venientes municipiis, eadem sua superiora contubernia repetituros. Hoc, neque aliud quidquam, nisi prorsus fallor, locus flagitat; quid enim attinet, quo tempore illi perfugissent iterum memorare? Apparet quam facile verba *superiora nacti* mutari potuerint in *superiore noctī* (i. e. *nocte in*) — unde sequens quoque vocabulum depravari paene necesse erat. *Cum milites* habet Carrariensis cod. sine particula *que,* Norv. *cum militesque* Palatin. *cum militisqūe;* ceteri bonae notae libri praebent *commilitesque;* unde haud temere conjicias, *esset* pro *essent* scriptum compendio suo *eēt* tum pro *ēs* adrogatum proximo vocabulo, tum pro *es et* acceptum et propter absolutam, qualis videri poterat sequi, sententiam *(nonnulli — accipiebant)* com-

mutatum esse cum *esque*; ut mox *cum illis esque* transiret in *cumilitesque*. Quod in reliquis reponendum putavi *erant* inter *nonnulli graviores* et *sermones militum*, id verbum mihi latere videbatur in *graviora*, quae est optt. codd. (a b c e) lectio; et necessarium sententiae adsciscitur complementum. Ceterum non vereor ne quis nos errasse coarguat in distinctione trium horum orationis membrorum: *nonnulli — erant; dubii — accipiebantur; nonnulli etiam — fingebantur.* Cum nonnulli sermones militum dicantur fingi, sine dubio alii nonnulli putandi sunt veri seu graviores esse; quod autem inter fictum et verum medium est, id vero dubium appellatur. Hi igitur tum graviores, tum dubii, tum etiam ficti militum sermones recensentur tanquam causae timoris in castris Curionis celeriter aucti; quae quidem causae diligenter distinguendae sunt ab significationibus timoris modo enarratis.

Lib. II. c. 44, 3.

Ipse equo in oppidum vectus prosequentibus compluribus senatoribus, quo in numero erat Ser. Sulpicius et Licinius Damasippus, *paucis*, quae fieri vellet, Uticae constituit atque imperavit diebusque post paucis se in regnum cum omnibus copiis recepit.

Demonstrat Hofmannus, Nipperdei rationem secutus, superbiam Jubae subaccusatam, qua *paucis* ille i. e. *breviter* constituisset quae fieri vellet. Codices autem, quamquam mendose, constanter omnes exhibent: *paucis diebus.* In quibus ut oblitescere a nostro aspectu existimemus graviorem aliquam sententiae partem, duae res monent. Et primum quidem, si superbam regis dominationem his quoque Caesar voluisset mandare memoriae, non morosam eam et quasi ridendam tyranni impotentis imaginem excitasset, sed arrogantiam ipsam aperte accusasset. Ceterum satis notatur spectaculum, Romano nomine indignum, senatoribus Jubam dominum imperitantem prosequentibus. Deinde vero Uticae neque alio ullo loco constituisse atque imperavisse Jubam quae fieri vellet, id quidem nulla eget affirmatione, cum in oppidum invectus idem dicatur. Hoc desideramus et anquirimus, quibus ille imperaverit, quae fieri volebat, a quibus, quae ipse constituebat, perfici voluerit. Emendandus igitur locus ita videtur, ut pro *paucis diebus* legamus *ab his duobus*, sc. Ser. Sulpicio et Licinio Damasippo. Quae nisi vera est emendatio, cur horum maxime nomina ex senatorum prosequentium numero Caesar protulerit, non intelligo. Neque enim magnis eosdem rebus gestis vel aliis laudibus insignes fuisse reperio. Et de Servio Sulpicio quidem nihil praeterea memoratur; Damasippum autem, cuius liberis Caesar, cum Uticam contenderet, vitam concessit, cum Scipione legimus sub finem belli Africani (c. 96) ad Hipponem regium interiisse. Scipio autem, a Catone postea dux Pompejanorum in Africa constitutus socium belli Jubam habuit. Unde conjicere licet illos interim, antequam Scipio cum majoribus copiis in Africam venit, rerum Pompejanarum ibi non modo socios ac fautores, sed moderatores fuisse. Quod si concesseris, haud inepte, puto, eo ipso de quo agitur tempore regem, deleto Curionis exercitu belloque profligato in regnum suum reversurum, omnem rem deinde Uticae administrandam mandasse existimaveris his ipsis duobus senatoribus. Nam Attius Varus ab eo contemtus est, cujus neque exercitu neque imperio in praesentia opus fuit. Uticae vero qui erat conventus civium Romanorum cum suspectus esset Jubae, ac Caesaris rebus palam faverent ipsi Uticenses (cf. c. 36) — quid aliud Sulpicio ac Damasippo nisi hoc imperatum suspicemur, ut in consulari auctoritate, atque etiam in dictatoria quasi majestate constituti ab rege victore civium Romanorum animos confirmarent, Uticensium studia terrore coercerent? Qua re non simpliciter legimus *imperasse* sed *constituisse atque* imperasse Jubam, *ab his duobus quae fieri vellet Uticae.* Mutata interpunctione sic persanatum locum habes.

Lib. III. c. 2, 2.

Eo legiones XII, equitatum omnem venire jusserat. Sed tantum navium reperit, ut anguste *XV milia* legionariorum militum, DC equites *transportare* possent. Hoc unum *inopia navium* Caesari ad celeritatem conficiendi belli defuit. Atque hae ipsae copiae hoc infrequentiores imponuntur e. q. s.

Non posse hic certum quendam ac definitum militum numerum tolerari, quum paulo post hae ipsae copiae dicantur infrequentiores impositae esse, primus vidit Nipperdeius, concedit Hofmannus, nemo postea infitias ibit. Verum cohortes, quas jubent interponi, et longius absunt ab librorum reliquiis, nec satis recte describuntur addidamento suo — *legionariorum militum.* Numerantur cohortes aut unius legionis aut totius exercitus; genus militum non recipit eam partitionem. Quare ad genus designandum, quod sciam, cohortes solent *legionariae* vel *auxiliares,* non *militum legionariorum* vel *auxiliarium* vocari. Contra ea legimus incerti passim numeri vocabulum cum iis genitivis junctum; ut b. g. I, 51 *quod minus multitudine militum legionariorum pro hostium numero valebat.* Et b. al. 21: *ex eo numero legionariorum militum.* — Simile quid quum hic locus postulet, vix ullo improbante pro *XV milia* restitues *dimidium,* quod vocabulum, corrupte scriptum *ti mitiū,* per librarii curam perversam facile abiit in illam numeri significationem. Cf. Liv. XXXV, 1, 2: *ut vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradiderit.* Neque vero reliqua omnia ex codicum lectione satisfaciunt, subtilius paullo si verba atque ipsam rem inquiras. Non transportant naves, sed Caesar transportat suas legiones; milites autem cum tribunis ac legatis transportantur. Ipso scilicet imperatore praesente qui possit his profectio vindicari? Aut *transportari possent* legendum, aut *transportare posset;* sic denique sequentia quoque: *Hoc unum inopia navium Caesari — defuit* — recte se habent; nam *inopia navium* ablativus causae est. Hoc unum, inquit, non successit, ut transportari possent omnes una milites; quod si non defuisset propter inopiam navium, sed ex spe et sententia successisset Caesari, celerius confici bellum videbatur posse. Cf. b. g. IV, 26: *neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit,* sc. ut (nostri) longius prosequi possent.

Lib. III. c. 9, 6.

Et longo interposito spatio cum diuturnitas oppugnationis neglegentiores Octavianos effecisset, (cives Romani) nacti occasionem meridiani temporis discessu eorum pueris mulieribusque in muro dispositis, ne quid cotidianae consuetudinis desideraretur, ipsi manu facta cum iis, quos nuper *maximi* liberaverant, in proxima Octavi castra inruperunt.

Octavius cum Salonas pervenisset, oppidum oppugnare instituit. Cives autem Romani, cum essent infirmi ad resistendum propter paucitatem hominum — ad extremum *auxilium* descenderunt servosque omnes puberes liberaverunt. Ex his, quae initio capitis narrata sunt, servos apparet a civibus Romanis ea lege liberatos esse, ut ipsis in defendendo oppido auxilium ferrent sociosque laborum se adjungerent. Jam si quaerimus, quid nostro loco optt. librorum (Nipp. a b c d et Haun.) depravata lectio *maximi* obtegat veri, commodius nihil videmur suspicari, nisi *inaxiliū* i. e. *in auxilium.* Ostenditur nimirum et civium Romanorum posita in istis sociis fiducia, et voluntas servorum ea ipsa condicione liberatorum. — Expelli certe miraculum istud scripturae propter codicum auctoritatem non licet, explicari nequit, secludendo nihil proficimus, emendatione ergo opus est.

Lib. III. c. 10, 5.

Depositis armis *auxiliis*que, quibus nunc confiderent, necessario populi senatusque judicio fore utrumque contentum. Haec quo facilius Pompejo probari possent, omnes suas terrestres *urbiumque* copias dimissurum.

Auxiliis hoc loco Caesar designare videtur *navigia*, ut classes opponantur exercitibus. Nam quae alia, armis depositis reliqua esse possint auxilia, equidem non reperio. Cetera enim omnia, pecuniae frumenta commeatus, depositis armis i. e. copiis dimissis jam non opus sunt. At reliquae sunt naves, et sunt ea auxilia belli haud contemnenda. Sed aliis quoque locis ea vis adsignanda *auxiliis* est; ut infra c. 106, ubi Caesar *infirmis* se *auxiliis* scribit, sc. *navibus longis Rhodiis decem et Asiaticis paucis Alexandriam pervenisse. Infirma* autem ea dicit, quia duas legiones easque vehementer attenuatas imposuerat. Nec aliter Libo c. 16 *auxilia* a *copiis* suis discernit; ridiculum enim fuisset in tantis angustiis de aliis quibusdam auxiliis mentionem facere. Sed de militum naviumque suarum numero Caesar hominem tradit gloriatum esse. — Quid quod suas ipse Caesar legiones auxilia appellat nulla alia de causa, quam quod navibus Brundisio transportandae erant. cf. c. 17 *ut illi classe naves auxiliaque sua impedirent.* Simili prorsus ratione b. g. III, 9 a sociis Venetorum discernuntur auxilia, i. e. naves militibus completae, quae ex Britannia arcessuntur. Haec si recte disputavimus, patefacta atque expedita simul est via ad inveniendam emendationem eam qua opus est. Pompejus navium numero ab externis gentibus accersitarum multo plus valebat quam Caesar. Non aequa igitur videbatur conditio postulare ut sua uterque arma atque auxilia deponeret, populi senatusque judicio contentus esset. Quapropter Caesar, quo facilius eae pacis conditiones ab ipso propositae Pompejo probari possent, addit *omnes suas terrestres ubique copias dimissurum.* Tenebat autem Caesar et Hispanias, Pompei provinciam, et omnem Italiam. Et est ea vox similiter usurpata aliis quoque locis. Cf. b. c. I, 36 *naves quas ubique possunt deprehendunt.* II, 20 *quod ubique habeat frumenti et navium, ostendit.* b. g. III, 16 *navium quod ubique fuerat — coegerant.*

Lib. III. c. 11, 1.

Vibullius his expositis *Corcyrae* non minus necessarium esse existimavit de repentino adventu Caesaris Pompejum fieri certiorem, uti ad id consilium capere posset, antequam de mandatis agi inciperetur, atque ideo continuato nocte ac die itinere atque *omnibus copiis* mutatis ad celeritatem jumentis ad Pompejum contendit et adesse Caesarem nuntiavit.

In his quam maxime offendit quod prius continuatum iter quam inceptum esse accipimus; profectionis enim Vibulli nulla facta est mentio. Deinde neque haec expositae sunt Corcyrae neque Vibullius, nisi repugnante ratione, Corcyrae existimasse, quod existimavit, dici potest. Itaque quae Hofmannus explicationis causa ad tuendam *Corcyram* profert, frustra disseruntur. At vero ne Nipperdei quidem et Kraneri ratio quidquam prodest. Deleta enim *Corcyra* Vibullius *his expositis* statim diceretur *existimasse* id, quod nequaquam inde sequitur, sed diversam prorsus ratiocinandi viam prodit. Conjungi nullo modo possunt ablativi *his expositis* cum verbo *existimavit.* Expectaveris *Corcyrae* loco participium aliquod, quo quid fecerit his expositis Vibullius demonstretur. Fecit autem nihil aliud, quam ingressus est iter quod postea continuatum nocte ac die ab eodem legimus. Necessario equidem videor sic locum restituere: *Vibullius his expositis profectus non minus necessarium*

esse existimavit — atque ideo continuato nocte ac die itinere — ad Pompejum contendit. Poterat sane ex *profect9* (= profectus) depravatione fieri *porfet9* vel *porfit9*, quod ubi irrepsit, compendio 9 in *e* soluto acceptum pro *porfire* perperam a librario sedulo translatum est in *Corcire* s. Corcyrae nomen. (V. supra III, 5, ubi mss. pro *Coponio* exhibent *Pomponio.)* Quae quidem depravatio supposita si cui ut in vocabulo quam usitatissimo videbitur monstrosa, et mihi scito videri; neque eo secius tamen illam emendationem necessariam esse contendam, quod verba *his expositis* satis superque Vibullium etiam tum apud Caesarem commoratum esse docent, reliqua autem non factum esse iter, sed quomodo factum sit demonstrant.

Sed alterum nec minus grave mendum deprehendimus in *omnibus copiis.* Quae quidem verba alii eiciunt aut secludunt, alii transponunt, Hofmannus cum Lipsio mutat in *omnibus oppidis.* At illorum ratio in librorum omnium consensu nullam habet defensionem, in Lipsii emendationem a simplicitate atque perspicuitate orationis parum redit commendationis. Quid enim? quale hoc est omnibus oppidis Vibullium mutasse jumenta? quibus tandem omnibus? ne Epiri quidem, puto, aut Candaviae, nedum totius orbis. Et cur non mutasset ubicumque opus erat, cur non etiam in vico aliquo, sed solum in *oppidis?* Et quid denique attinet scire, quibus ille locis mutaverit jumenta, cum mutasse satis sit? Neque praetermittendum est illud, minus recte particula *atque* inter se jungi haec: *continuato itinere atque mutatis jumentis.* Nam cum altera haec enunciatio contineat id, quo prior illa accuratius definiatur, aut nulla particula interponenda, aut tantummodo *mutatisque* jumentis dicendum erat. Nisi forte quis particulae attribuit vim gradationis, quae tamen asyndeto efficeretur multo gravior. Quae cum ita sint, ut neque in *copiis* neque in *oppidis* acquiescere liceat, novum aliquid lubet moliri, si contingat sanare locum. Quid igitur? alterum ablativum absolutum particula *atque* jungendum cum *itinere continuato* propono legendumque censeo: *atque omisso somno* (omisSOpno fortasse fuit in archetypo), *mutatis ad celeritatem jumentis, ad Pompejum contendit.* Sic demum vivide depingitur in homine bis a Caesare servato anxia Pompei cura partiumque studium invictum, quod prodidit Vibullius accelerato quantum maxime potuit itinere. Hoc enim vult Caesar, notare quasi cavillando hominis ingratum animum, qui *his expositis profectus* pollicitusque ea mandata perlaturum, *non minus necessarium esse existimaret de repentino adventu Caesaris Pompejum fieri certiorem* — atque ideo etiam somno se privaverit! Audisne cavillantem, cum dicit *non minus necessarium* existimasse? nonne aptissime augetur ea cavillatio *omisso somno?* Audisne simul indignabundum eum, qui initio capitis dixit: *Hunc pro suis beneficiis Caesar idoneum judicaverat, quem cum mandatis ad Pompejum mitteret?* Gratum judicaverat, ingratum expertus est.

Lib. III. c. 13, 1.

At Pompejus cognitis his rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gestae, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul et Caesar appropinquare dicebatur. Tantusque terror incidit ejus exercitui, quod properans noctem diei coniunxerat neque iter intermiserat, ut paene omnes *in Epiro finitimisque regionibus* signa relinquerent, complures arma proicerent ac fugae simile iter videretur.

Neque vero fuga erat, quamvis simile fugae iter videretur. De profugis igitur militibus omnino non cogitandum; quare nihil proficimus, etiamsi, ut geographicam difficultatem expediamus, cum Nipperdeio legere velimus *ex Epiro.* Ac paulo certe post omnis exercitus dicitur idem juravisse quod Labienus tribuni centuriones. Qua occasione oblata Cae-

sarem arbitror non intermissurum fuisse pauca quaedam de profugis istis militibus eorumque numero perscribere. At enim signa relinquere non idem valet quod signa deserere. Illo delicto disciplina militaris negligitur, hoc crimine officium atque sacramentum militis violatur. Pompejus mandasse videtur tribunis, ut sub signis legiones ducerent observatisque ordinibus milites in armis expeditos haberent; idque eo magis est credibile, quo ipse vehementius appropinquantem Caesarem timebat. Jam vero inter ipsam profectionem Caesar reapse appropinquare, jam jamque et adesse nuntiatur. Quo audito milites, cum ipsum imperatorem propter maturatum iter suspicarentur perculsum atque perterritum esse, non jam prae terrore imperatorem ac tribunos audire, sed signa relinquere et nullo ordine servato cum suis singuli manipuli centurionibus iter, quam celerrime possent, pergere, nonnulli etiam, quo expeditiores ad festinandum essent, arma projicere. Quid autem, quaeso, media inter haec *Epirus finitimaeque regiones?* Nempe legendum est:

Tantusque terror incidit ejus exercitui — ut paene omnes *sine imperio, sine tribunis, legionum* signa relinquerent, complures arma projicerent ac fugae simile iter videretur.

Iisdem fere verbis Livius IX, 45: *Aequorum exercitus, tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio trepidare.* Quae corrupta aperte nunc legimus verba, finge animo sic olim nulla distinctione scripta fuisse: *omnesineīperio sinetrib; legioū* — facile apparebit depravationis et causa et genus. Ceterum confer c. 67 *signo legionis illato;* et b. g. VIII, 36 *signis legionis visis.* Cum milites paene omnes legionum signa relinquerent, non ideo et cohortium vel manipulorum signa reliquisse existimandi sunt.

Lib. III. c. 18, 5.

Caesar postquam frustra se cum Libone per colloquium de legatis ad Pompejum mittendis egisse, frustra etiam Vibullium de mandatis Caesaris cum ipso Pompejo collocutum esse exposuit c. 15—18 haec addit:

conatus tamen nihilo minus est aliis rationibus *per colloquia* de pace agere.

Omnia hic apta inter se et convenientia, neque profecta a magistro sunt ea *colloquia.* Sed enim ablativi *aliis rationibus* conjungenda sunt cum verbo *conatus est* et distinguenda ab iis quae sequuntur. Appositioni nullus est locus: neque *rationes* explicantur *colloquiis,* neque *colloquia* accuratius definiuntur *rationibus.* Idem Caesar, quod antea, etiamtum conatus est, per colloquia de pace agere, sed conatus est aliis atque antea rationibus, jam non cum ipso Pompejo neque cum ejus ducibus acturus sed cum singulis tribunis ipsisque militibus. Et vero etiam licet ex iis, quae postea narrantur, conjicere, profecturum aliquid Vatinium per ejusmodi colloquia fuisse — Aulum Varronem enim omniumque animos intentos ad pacem repperit — nisi T. Labienus insidiose eam orationem arripuisset mediamque subito vi ac telis interpellandam curavisset.

Lib. III. c. 19, 2.

Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea quae maxime ad pacem pertinere viderentur ageret et crebro magna voce pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace *duo* legatos mittere e. q. s.

Miror quod nemo editorum adhuc viderit, *tuto* legendum esse, vel si quis suspicatus est, quod nemo ausus sit corrigere codicum scripturam *duo* vel *duos.* Delere enim vocem eam non modo librorum mss. auctoritate sed ipsa sententiae integritate vetamur. Tuto quomodo legati venire possent, convenit utrimque, tuto igitur ut legatos mittere liceret, postulaverat Vatinius. —

2

Nam eodem capite §. 3 haec legimus:

Responsum est ab altera parte A. Varronem profiteri se altera die ad colloquium venturum, *atque una vis utrumque admodum tuto* legati venire et quae vellent exponere possent; certumque ei rei tempus constituitur.

Ita codices; necdum persanatus est locus Elberlingii et Nipperdei curis. Nam si legendum cum his censemus, *atque eundem visurum quemadmodum*, jam quaeritur quo tandem ille tempore visurus sit, quum statim certum ei rei tempus constituatur. An *visurum* dicamus idem valere quod *provisurum?* Quasi vero Caesariani, nulla pactione facta, fidei se atque arbitrio adversariorum committere potuissent. Quantum equidem loci rationem perspicio, ipsa verba haec sunt: *et convenit utrimque, quemadmodum tuto legati venire possent, certumque ei rei tempus constituitur.* Re ad alteram diem prolata Vatinius non debebat ad Caesarem redire nisi certa pactione facta certoque constituto tempore. Et pactum inter utrosque, ut assolet, de armatorum esse numero, quos adducere secum quorumque praesidio tuti legati venire possent, ex ipsa narratione concluditur. Nam infra de colloquio eo altero adversariorum perfidia interrupto relatum legimus: *subito undique tela immissa, quae ille* (Vatinius) *obtectus armis militum vitavit.*

Lib. III. c. 19, 5.

Qua ex frequentia Titus Labienus prodit; *summissa* oratione loqui de pace atque altercari cum Vatinio incipit. Quorum mediam orationem interrumpunt subito undique tela immissa.

Terpstrae conjecturam: *sed missa oratione de pace loqui atque alt. incipit* ego non possum cum Hofmanno probare. Nam transpositio quidem verborum defensionem habet nullam, quia varietas ejusmodi non est in mss. optt. Solus autem cod. Lovan., quem citat Oudendorpius, suam lectionem: *summissa oratione de pace altercari incipit* tueri contra ceterorum librorum auctoritatem non valet. Deinde non *missam* de pace sed *inceptam* esse orationem, ipsa res docet, cum interruptam legamus *mediam* orationem. Denique verbum *loqui,* quod *colloquendi* potestatem non habet, offendit eo loco tam nude positum neque aliud quam prorsus languet sine suo objecto junctum praegnanti verbo *altercandi.* — In mentem venit: *commissa oratione* scribendum esse, ut *initium* orationis factum referatur, quae *media* subito interrumpitur. Insidiose, ubi primum ingressi sunt orationem, incipit Labienus loqui de pace, mox ab oratione transiturus ad altercationem ac tela praeparata. Certe cum apud Ovidium sit (Met. VI, 448) *dextera dextrae jungitur, et fausto committitur omine sermo* — non ego negaverim potuisse et Caesarem scribere: *commissa oratione,* praesertim cum Labienus re vera *proelium voce committere* (Met. V, 307) i. e. altercari sibi proposuisset.

Lib. III. c. 22, 2.

Apud quos cum proficere nihil posset, quibusdam solutis ergastulis Cosam in agro Thurino oppugnare coepit. *Eo cum a Q. Pedio praetore cum legione* . . . . lapide ictus ex muro periit.

Editiones inde a Scaligero, cujus praeceptum observant, omnes notant lacunam. Codicum autem meliorum (a b c d e) nullam Nipperdeius indicat varietatem. Habet tamen Haun., ut Elberlingius docet, non *a* sed *A Q. Pedio.* Et in libello variarum lectionum editioni Plantinae (1575) addito Gryphii librum ex vetusto admodum exemplari excusum reperio exhibuisse *ubi cum;* adsentiente libro Parisiensi Roberti Stephani. Quod idem extare

in edd. Vasc. Str. et Hotom. Oudendorpius perhibet. Ursinus autem ipse in *Notis* suis (ed. Jungermann) affirmat legi in vetustissimo suo libro: *eo cum a P. Pedio proditore cum legione.* Unde equidem colligo corruptum potius quam lacunosum esse locum, atque in ipso nomine proprio latere ulcus gravissimum. Neque enim Vellejus neque Plinius, neque Dio quidem, ubi de Milonis interitu referunt, quidquam de Pedio. Et quid, quaeso, rei habet aut Q. Pedius aut missa legio cum illo lapidis ictu quo periit Milo? Nihil proficit igitur recentissima Hofmanni cura, qui hanc proponit emendationem: *Eo cum Q. Pedio praetore missa legione.* Quam brevissime Caesar hac sententia Milonis exitum funestum, ut postea Coelii, commemorare vult, locumque emendaturi, quidquid ab eo proposito alienum est, jure videmur excludere. Negamus igitur *Pedii* nomen genuinum, negamus *praetorem* incorruptum, *legionem* integram esse et missa lacuna sic censemus verba scriptori sua restituenda esse ut legamus:

Ubi cum ad oppidum prodiret Milo, lapide ictus ex muro periit.

Quae haud ita graviter depravatione affecta esse intelliges, si in codice nostrorum librorum parente concesseris potuisse legi sic scripta:

$\overset{c}{\bar{\text{v}}}$ cum a do Pedū pridore tmı lo.

Ex hac enim scriptura, in qua omnia recte, nisi quod *o* et *i* in voce *prodire* sedem inter se mutarunt, facillime librariis extiterunt omnes eae, quae notantur, falsae lectiones; nam ut reliqua transmittamus, ubi primum tmı pro cum est acceptum, *lo* videbatur necessario compendium esse pro *legio*, quae propter praepositionem casu ablativo exaranda esset.

Lib. III. c. 25, 1 — 3.

Multi jam menses erant et hiems praecipitaverat, neque Brundisio naves legionesque ad Caesarem veniebant. Ac nonnullae ejus rei praetermissae occasiones Caesari videbantur, quod certe saepe flaverant venti, quibus necessario committendum existimabat. Quantoque ejus amplius processerat temporis, tanto erant alacriores ad custodias qui classibus praeerant, majoremque fiduciam prohibendi habebant, et crebris Pompei litteris castigabantur, quoniam primo venientem Caesarem non prohibuissent, ut reliquos ejus exercitus impedirent. Duriusque cotidie tempus ad transportandum *sevioribus* ventis *exspectabat.* Quibus rebus permotus Caesar Brundisium ad suos severius scripsit c. q. s.

Integrum exscripsi locum, quo facilius ea quae in textum ex lenissima curatione statim recepimus emendata ipso sententiarum nexu defendantur. Tripartita quippe causarum explanatio est; cujus quidem explanationis primo membro continetur nimia *Antonii* incuria, secundo *Pompejanorum* aucta vigilantia, tertio ipsius *Caesaris* non vanus timor. Inde igitur severiores Caesaris ad suos litterae. Jam vero ex ea orationis partitione sequitur, majore interpunctione distinguendum esse inter *impedirent* et *Duriusque;* ac tertii hujus membri verbum *exspectabat* (codd. habent *exspectabant*) rursus ad Caesarem referendum esse ut ante paullo *existimabat.* Denique cum *durius* non fiat tempus *lenioribus* ventis, recipiendum levi mutatione est: *sevioribus.* Cf. b. g. III, 13 *cum saevire ventus coepisset.* Cic. Att. V, 12. Inde Gyarum *saevo vento, non adverso.* Neque praecipitata hieme leniores venti, sed turbulentae ac saevae sub aequinoctium vernum exspectandae erant tempestates. Durius autem hic vocatur tempus eodem fere sensu, quo c. 15, 3 legimus *difficilioribus usi tempestatibus.*

Novam Hofmanni emendationem: *cupidiusque cotidie tempus, ad transportandum lenioribus ventis, expectabant* — comprobari posse non duxi. Vereor enim, ut satis recte dicatur

tempus exspectare, non addito quod aut quale sit tempus et quam habeat certam relationem. Nec magis videtur latine dici *ventus lenior ad transportandum*, siquidem aliud quid ac ventus ipse transportatur. Sin vero ita intelligenda sint ea verba quasi Caesar dicat: expectabant tempus, quo venti essent leniores futuri ideoque secundiores Caesarianis ad transportandum, nimis dura ea quidem verborum constructio esset neque quidquam elegantiae Caesari consuetae haberet.

Lib. III. c. 38, 2—4.

Scipio ad sequendum paratus equitum magnam partem ad explorandum iter Domitii et cognoscendum praemisit. Qui cum essent progressi, primaeque turmae insidias intravissent, ex fremitu equorum inlata suspicione ad suos se recipere coeperunt, quique hos sequebantur celerem eorum receptum conspicati restiterunt. Nostri cognitis *hostium* insidiis, ne frustra reliquos exspectarent, duas nacti turmas exceperunt (in his fuit M. Opimius, praefectus equitum), reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt aut captos ad Domitium deduxerunt.

Cognitis hostium insidiis mss.; inclusit *hostium* Nipperdeius, ejecit Hofmannus, emendandam potius esse vocem videbimus. Primae igitur turmae equitum, quae plures erant quam duae, intraverunt insidias; — major pars procul sequentium extra periculum restitit. At primarum turbarum integrae duae exceptae sunt, reliqua pars, cum ad suos se recipere dispersi fuga coepissent, aut interfecti aut capti. In iis qui excepti sunt fuit M. Opimius, praefectus equitum, qui duxisse agmen cogitandus est. Opponuntur igitur „reliqui omnes earum turmarum“ integris illis duabus, quae exceptae sunt, turmis; quos autem ante dicit *reliquos (ne frustra reliquos exspectarent)*, ii sunt qui post primas turmas restitisse leguntur, celerem eorum receptum conspicati. In his cum omnia sint plana, unum desideratur, quod *reliqui*, qui priore loco appellantur, non habent in antecedentibus vocabulum oppositum, quo referantur eaque relatione satis distincte internoscantur a *reliquis*, posteriore loco significatis. Jam cum *hostium*, corrupta lectio codicum, defendi nulla ratione possit, ejecto autem vocabulo efficiatur, ut *nostri* dicantur insidias cognovisse, haud temere, puto, neque imprudenter faciemus scribentes:

Nostri cognitis hos jam insidiis, ne frustra reliquos exspectarent, duas nacti turmas exceperunt (in his fuit M. Opimius praefectus equitum), reliquos omnes earum turmarum interfecerunt aut c. a. D. deduxerunt.

Sensus enim hic est: nostri *hos*, i. e. primas turmas, *partim* exceperunt (et duas quidem nacti sunt turmas), *partim*, dum illi sese celeriter ad suos recipere conantur, aut intefecerunt aut captos ad Domitium deduxerunt.

Cur M. Opimio (ex sententia Freudenbergii) non licuerit in iis esse, qui excepti sunt, sed necesse fuerit cum perpaucis fuga salutem reperire, non liquet, praesertim cum earum turmarum reliqui omnes praeter exceptos illos aut interfecti, aut capti sint, nemo igitur salutem reppererit. Quod autem attinet ad eos locos, quibus laudatis Hofmannus conatur demonstrare, ablativos absolutos *cognitis insidiis* posse de hostibus intelligi, licet cum subjecto *nostri* conjunctos, ii loci omnes faciunt cum nostra emendatione, quod omnibus istis ablativis adjungitur arctissime suum cuique personale objectum, ad quod referatur actio ea, quae verbo inest. Cf. b. g. II, 4, 2 *qui —, omni Gallia vexata, Teutonos intra fines suos ingredi prohibuerint;* b. c. II. 14, 6 *reliquos infecta re, — reppulerunt.* Sall. Jug. 10, 1 *ego — te, amisso patre, in meum regnum accepi.*

Lib. III. c. 44, 3.

Atque ut nostri perpetuas munitiones *videbant* perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompejani ac nostros post tergum adorirentur, *timebant*, ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare atque ipsos a tergo circumvenire possent.

Idem utrique propositum habebant atque spectabant, ne a tergo circumvenirentur. Sed Pompejani operibus vincebant, quod interiore spatio minorem circuitum habebant. Caesar autem permultos editos atque asperos colles, qui circum castra Pompei erant, primum praesidiis tenuit castellaque ibi communit. (cf. c. 43.) Ac jam inde ex castello in castellum perducta munitione circumvallare Pompejum instituerat, neque vero opera sua perfecerat. Quo magis necessarium ei erat praesidiis tenere quantum earum munitionum perfectum erat, ne Pompejani suos eruptione facta post tergum adoriri possent. Hinc mihi leniore medicina corruptis codicum verbis subveniendum videtur, quam qua adhuc editores vel interpretes emendandi causa usi sunt. Neque enim *timebant* expellendum sed in *tenebant* mutandum et pro *videbant* scribendum censeo *iis diebus*. Sic et sententiae et constructioni verborum apta omnia: *Atque ut nostri perpetuas munitiones, iis diebus perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompejani ac nostros post tergum adorirentur, tenebant, ita illi* etc.

Confusas voces *ıısdiebuſ* facillime in *ıısdiebat* atque inde in *uidebant* transire potuisse existimo.

Lib. III. c. 48, 1.

Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui *fuerant valeribus,* quod appellatur chara, quod admixtum lacte multum inopiam levabat.

Frustra suscepti adhuc omnes omnium in hoc loco emendando labores. Nec, si Kraneri judicio pareamus, novum ullum periculum erit faciendum. Is enim omnem, qualiscunque sit futura, incertam promisit ac dubiam fore emendationem. At nil desperandum, si modo caute atque circumspecte conjecturae necessitatem sequamur. Quodsi tam multi viri docti erraverunt, factum id est aut quod plusquamperfectum *fuerant* recte habere aut quod de oleribus cogitari posse sibi persuaserunt. Sed nihil omnino nec loci nec temporis habet quo referatur illud *fuerant;* hoc autem — quis unquam satis credat Caesarem scripturum fuisse quod vel culinae vel rei rusticae convenire videretur? Quid autem refert scire, quocum potissimum, utrum cum *Valerio* an alio quolibet sive duce sive commilitone olim fuerint, aut quo loco olim, utrum in vallibus an in montibus, fuerint qui tum id genus radicis invenerunt? Hoc requirimus, quo casu illi vel quo fortunae beneficio usi invenerint. Atque hoc statim intelligemus, ubi primum cognoverimus quo consilio castris Caesarianis exierint quibus debebatur istud qualecunque inopiae levamentum. Jam vero dubium esse omnino non potest, quin a militibus inventum sit iis qui aut pabulandi aut frumentandi causa emittebantur. Ceteris enim, qui in castris continebantur, nemo tribuerit illud inventum. Quid? si id ipsum Caesar refert his: *inventum ab iis, qui frumentatum exibant?* Nonne ea verba sententiae ipsi egregie conveniunt? Nimirum natum est, ut ego puto, fuerant ual ex fruētatum; *eribus* autem ex corrupte scripta voce eribāt pro exibāt. — Licet igitur suspicari, invenisse milites id genus radicis in vicis ac cellis agrestium, ab ipsisque his didicisse ejus usum. Quod attinet ad locutionem, satis ea quidem nota est; tamen cf.

I, 81 *pabulatum emittitur nemo.* b. g. VII, 20 *clam ex castris exisse, si quid frumenti aut pecoris in agris reperire possent* ib. VIII, 10 *cum pabulatum frumentatumque longius esset proficiscendum.* b. af. 7 *qui aquatum e navibus exierant.* Et Cic. ad Att. VIII, 12 *ut frumentatum eas.* —

Lib. III. c. 49, 3.

Omnia enim flumina atque omnes rivos, qui ad mare pertinebant, Caesar aut averterat aut magnis operibus obstruxerat; atque ut erant loca montuosa et *ad specus* angustiae vallium, has sublicis in terram demissis praesepserat, terramque adjecerat, ut aquam contineret.

Primus, quod sciam, Morus angustias vallium *ad specus* coll. bell. alex. 5 et 6 explanare conatus est; qui quidem: *ad specus ang. vallium,* inquit, i. e. *ang. vall. quae poterant esse loco specuum, habere usum et vim specuum.* Quem refellit Nipperdeius, ad similitudinem, quae intercedat inter valles angustas et specus, nos rejiciens. Eum secutus est Kraner, nec Hofmanno in edit. 3. contradicente. Sed primus de latinitate ejus locutionis dubitavit Heldius, idque suo ille jure, si quid ego video. Nam quos affert locos Nipperdeius, ii tantum abest ut confirment ejus explicationem verborum ut labefactare eam atque adeo refellere suo testimonio videantur. Ibi enim adjectivis, quae vocant, inhaeret id quod similitudinis notionem praebet, si *ad* rem comparandi causa aliam rem adhibeas. Ita recte quidem dicitur: *Septimius est ad Crassi eloquentiam gravis et vehemens;* aut etiam (Liv. XXII, 22) *homini non ad cetera Punica ingenia callido.* Sed quis unquam dixit: *aliquid est ad aliquam rem* pro eo, quod tam tritum est, *simile est alicui rei?* Deinde angustiae vallium non sunt angustae valles, sed sunt quasi fauces ac portae vallium. Quas si concesseris aditus dici posse specuum (sive vallium superimpendentibus rupibus similium specubus) tamen specus vel speluncae (cf. b. afr. 50) ipsae dici non possunt, neque specubus assimulari. Postremo nihil omnino attinet ad rem, utrum superimpendentes sint rupes nec ne, hoc permultum refert, ut angustiae sint vallium, eaeque saxis praeruptis ex utraque parte asperae. Quid multa? levissima mutatione corrigendum est:

atque ut erant loca montuosa et asperae angustiae vallium, has sublicis in terram demissis praesepserat.

Ejusmodi valles commemorantur I, 68, 2, ubi *saxa multis locis praerupta iter impediebant.* Quae autem praerupta sunt descensu, eadem sunt aspera ascensu; cf. III, 43 *editi atque asperi colles.* Quare eas voces inter se jungi videmus II, 24. *jugum — utraque ex parte praeruptum atque asperum.* Et solet occurrere vocabulum aspera, ubi angustiae et loca commemorantur montuosa. Cf. I, 66 *inde excipere loca aspera et montuosa; qui prior has angustias occupaverit* e. q. s. III, 42 *quod sunt loca aspera et montuosa.*

Lib. III. c. 49, 6.

At Caesaris exercitus optima valetudine summaque aquae copia utebatur, tum commeatus omni genere praeter frumentum abundabat, *quibus* cotidie melius *subterere* tempus maioremque spem maturitate frumentorum proponi videbant.

Recte monuit Nipperdeius, vitium latere in pron. rel. *quibus*, cui hic prorsus nullus esset locus. Verum etiam num latine satis dicatur *bonum tempus* et *succedere tempus,* non adjecto, cui rei succedat, in dubium ego vocaverim. Neque apta sunt nostro loco, quae affert exempla Hofmannus. *Tempus* enim *actionis opportunum,* quo definitur et circumscri-

bitur *occasio*, longe aliam praefert rationem, ac *frumenti tempus*, sive bonum id sive melius praedicaretur esse, habere posset. Illud enim significat tempus *ad agendum* ideoneum, quid hoc significaret, si recipere vellemus, parum liquet. Quare mihi quidem non probatur ejusdem viri docti emendatio: *cujus cotidie melius succedere tempus;* praesertim quum Phil. 11. 15, 39 *aetas succedit aetati* non modo certa quaedam annorum series intelligatur, sed etiam dativus casus, quem desideramus, verbo suo jungatur. Ad certam emendationem ut pervenire possimus, paullo longius repetamus rerum enarrationem. Initio igitur capitis hujus Caesar suorum militum patientiam ac pertinaciam duabus rebus demonstravit sustentatam esse; primum quod maturescere videbant frumenta, deinde quod miserrima omnia in Pompei castris, equorum atque jumentorum interitum, ipsorum valetudinem non bonam, aquae summam inopiam ex perfugis cognoscebant. Jam vero Caesar sub finem capitis contra ea Pompejanorum desperationem multis rebus auctam demonstraturus, suum exercitum dicit optima valetudine summaque aquae copia usum nec praeter frumentum ullo commeatus genere caruisse; atque adeo addit ultimam atque extremam Pompejanorum militum spem esse profligatam ea re, quam proximo priore capite commemoratam legimus. Pompejani enim famem cum Caesarianis objectarent, hi vulgo panes istos suos in eos iaciebant, ut *spem eorum minuerent.* Videbant igitur Pompejani, quod ad cibum attineret, cotidie melius sustinere Caesaris milites temporum angustias simulque majorem iis cotidie spem maturitate frumentorum proponi. His ita explicatis ultro se offert vera loci emendatio. Quam ecce praesentem: *tum commeatus omni genere praeter frumentum abundabat; ac cibo cotidie melius sustineri tempus majoremque spem maturitate frumentorum proponi videbant* sc. illi i. e Pompejani. — Haud mediocriter favet nobis cod. ex D. Vossii, qui compendii signum exhibet in voce *subtr̄ere* pro *subterere*; in Haun. autem et Leid. I legitur *subterrere.* — Fractos vero Pompejánorum animos cum *famem* i. e. cibi inopiam, qua Caesariani laborarent, levatam viderent, cognoscimus etiam ex Suet. Caes. 68. et Plut. Caes. 39.

Lib. III. c. 53, 4.

Cohortemque postea duplici stipendio, *frumento vespeciariis* militaribusque donis amplissime donavit.

Sic aut *frumentove speciariis* verba mendose scripta exhibent codices mss. Multi fuerunt in hoc loco virorum doctorum labores variaeque propositae sunt emendationes, plus minusve probabiles. Vera lectio nondum reperta est. De *veste* jam Elberlingius refutavit omnem suspicionem, de *cibariis* Caesar ipse, nominato frumento, vetat quenquam cogitare. Neque *congiariis* quidem Hofmanni aut *pecuniariis* donis Kochii et Kraneri adsentiri licebit ei, qui duplicis stipendii mentione facta idem iterum vel saltem simile quoddam genus praemiorum designari parum aptum et vix probabile judicaverit. Proxime ad verum, ut mihi videtur, accessit Hellerus*), recte praecipiens ut *pecuaria* militaribus donis a Caesare adjuncta esse statuamus. Atqui *frumentum* etiam nonne inter dona refertur a stipendio aucto discernenda? Refertur sane. At sic ea, quam efficit Hellerus — *stipendio frumentoque et donis* legens — comprobari nequit tripartita orationis ratio; immo potius donorum genera tria inter se diversa indicari facile apparet. Itaque magnopere ego auctor sum, ut scribas: *duplici stipendio, frumentariis pecuariis militaribusque donis amplissime donavit.* Etenim cum in eandem, quam Hellerus, ipse pridem delatus essem conjecturam, ut de *pecuaria,* non *pecuniaria* vel alia ulla donatione interpretandam esse sententiam constituerem, illud ta-

*) Philol. VIII, p. 384.

men pro certissimo affirmaverim propter ipsam loci concinnitatem, *frumentariis* a Caesare, non *frumento*, scriptum fuisse. Qua emendatione probata efficitur, ut triplex singularium donorum genus opponatur communi illi atque vulgari stipendii aucti praemio. Ceterum cf. ad *pecuaria* dona non modo Cic. Quint. 12 *erat ei pecuaria res ampla et rustica, bene culta;* sed infra etiam c. 59, 2, ubi Egum et Raucillum Caesar dicit a se locupletes ex egentibus factos. Legendum enim ibi utique videtur: *agrosque in Gallia ex hostibus captos praemiaque rei pecuariae magna tribuerat.* Agrorum et rei pecuariae vocabula aptissime et inter se et sententiae conveniunt. *Rem pecuniariam* nusquam memini me legere pro *pecuniis*, neque credibile est magnam utrique pecuniae summam a Caesare datam esse. — Cicero Rosc. Am. 40, 117 *rei pecuniariae socium* dixit, quaestus et lucri societatem designans. *Inopia* autem *rei pecuniariae* (ep. ad Brut. 1, 18) non hoc indicat: nullas omnino esse in civitate *pecunias*, sed parum commode expediri eum *maximum in republica nodum*, rei pecuniariae difficultatem. Praemia, quae ad rem *pecuariam* pertineant, varia esse possunt, pascua, villae, stabula, equaria, pecora ipsa atque armenta. Quae sint praemia ad rem *pecuniariam* pertinentia, nisi pecuniae ipsae, frustra laboro divinare. Quid igitur tam inflato dicendi genere opus?

Lib. III. c. 54.

Pompejus noctu — in altitudinem pedum quindecim effectis operibus vineis eam partem castrorum obtexit, et quinque intermissis diebus alteram noctem subnubilam nactus *extructis* omnibus castrorum *portis* et ad impediendum *objectis* — exercitum eduxit et se in antiquas munitiones recepit.

Extructis cod. Haun.; nihil enim Elberlingius enotavit contra vulgatam et ab Oudendorpio receptam lectionem. Par. *obstruxit*, Leid. et Scal. *obstructis*. Hoc Nipperdeius ac post eum recentiores editores receperunt. Perperam, ut ego arbitror; videbimus enim in libro Hauniensi veram servatam esse lectionem. Quid *obstructae portae*, et quidem *omnes*, sibi velint, nemo interpretum explanavit. Qua tandem nisi portis patentibus eduxerit Pompeius exercitum? id ego non magis assequor quam Oudendorpius. Vitium quaerendum est in *portis* ipsis non in voce *extructis*. Censeo igitur legendum esse: *extructis omnibus castrorum partibus et ad impediendum obtectis*. Explicandus autem locus sic est: cum Pompejus quinque illis diebus intermissis, praeter eam quae hosti opposita erat castrorum partem, reliquas quoque omnes partes si non pari modo (in altitudinem pedum quindecim effectis operibus) at paullo humilioribus saltem operibus extruxisset et has quoque partes non vineis quidem ad propugnandum, sed vallis certe altioribus loricisque ex cratibus attextis ad impediendum obtexisset, tamen satius ratus, in antiquas se munitiones recipere, postquam alteram noctem subnubilam nactus est, exercitum eduxit. *Portas* et *partes* haud semel confudisse videntur librarii (cf. Drakenb. ad Liv. IV, 46, 6.); et mihi quidem vix dubitari posse videtur, quin etiam supra II, 1, 2 legendum sit: *altera ad portam, qua est aditus ex Gallia atque Hispania.* Nam qui navibus ex Gallia et Hispania veniebant, sine dubio portum capiebant, non alium singularem ac proprium sibi aditum. — *Extructae* autem *omnes* castrorum *partes* atque *obtectae* breviter dici poterant, quia, quomodo extructae atque obtectae sint, ex antecedentibus facile intelligitur. Vineis ad defendendum atque propugnandum obtecta erat pars castrorum hosti contraria; reliquae partes cum non ad defendendum sed tantum modo ad impediendum perhibeantur obtectae esse, sequitur, ut vallis solito altioribus, non vineis neque loricis pinnarum serie intermissis obtecta ea opera esse nostro jure sumamus.

Lib. III. c. 63, 5.

Nam ut ad mare nostrae cohortes nonae legionis excubuerant, accessere subito prima luce Pompejani *exercitus, novusque eorum adventus extitit;* simul navibus circumvecti milites in exteriorem vallum tela jaciebant fossaeque aggere complebantur, et legionarii interioris munitionis defensores scalis admotis tormentis cujusque generis terrebant e. q. s.

Haec vett. edd., etiam Tarvisina, sine dubio ex veterum codicum auctoritate. Itaque ad Nipperdeium usque pro vulgata erat ea lectio. Hic Scaligerum secutus primum vocem *exercitus* ut suspectam inclusit; exercitus Pompejanos contendens vocari non posse eas cohortes, quae ne unum quidem illum, quem Pompejus haberet, exercitum efficerent. Verum hic et infra III, 81, 2 (Larissaei — *magnis exercitibus Scipionis tenebantur)* errare mihi videntur qui negant partes etiam unius exercitus eadem significatione dignas esse. Conficit omnem de ea re disputationem locus hic: *crebris Pompei litteris castigabantur, quoniam primo venientem Caesarem non prohibuissent, ut reliquos ejus exercitus impedirent.* III, 25. Neque origo vocis, etymologiae rationem si persequimur, videtur repugnare. Est enim *exercitus* ab eadem radice, qua germanice Schaar, graece ἀγείρω, et significat adeo aliud nihil nisi *τὸ ἀγηγερμένον*.

Petit autem haec nostra conjiciendi audacia veniam inde, quod ne Curtius quidem in Etymol. graec. de verbo ἀγείρειν certum quidquam atque exploratum affert; de exercitu autem, quod sciam, etymologia omnis tacet.

Nunquam certe poterit demonstrari, quomodo *exercitus* = copiarum agmen derivatus sit ab *exercere.* Nempe hoc ipsum verbum aliqua saltem ex parte consociatam et originem et notionem videtur habere cum graeco ἐγείρειν et germanico ſcheeren (= bedrängen) ſchoren (= bearbeiten sc. das Feld). *Arceo* autem (unde derivant *exercere*) et *coerceo* manifesto respondent graecis εἴργω et εἴργνυμι, germanicis wehren (cf. ἔργμα et ἔρυμα = arma) et wahren (Gewahrſam). Sed ea accuratius dispicienda atque disserenda relinquimus viris doctis, qui studia etymologica profitentur; nobis sufficit leviter significasse, si modo recte conjecisse videbimur de vera vocis *exercitus* originatione atque notione. Et haec quidem si vera non esset, qui potuit Virg. Georg. I, 183 *corvorum exercitum* appellare? Quod autem Plautus *exercitum* quendam profert *gymnasticum,* vel alio loco *eum, qui lacrimis alicui imperetur,* ea vero vox non minus recte derivatur a verbo *exercere,* quam *exercitor* et *exercitium.*

Verum qualiacunque ea sunt, quae adhuc disputavimus, hoc certe liquet exercitus Pompejanos nostro loco esse *terrestres* copias a Pompejo missas, easque opponi militibus navibus impositis i. e. classi. Cf. Liv. XXVI, 42 *eodem tempore et exercitus ostendebatur et classis intrabat portum;* qui locus nostro simillimus est. Hoc enim ipsum Caesari memorandum erat, naves quoque una cum exercitibus Pompejanis in conspectum venisse cohortium ad duplicem vallum excubantium. Quare ea quae sequuntur verba ita corrigenda censeo: *navesque eorum adversae extiterunt.* Verbum *existere* de rebus quae repente apparent, vulgo usurpari satis notum. Cf. b. afr. 69, 1 *milites ex collibus extiterunt.* Liv. XXV, 21. *signo dato simul omnes e latebris extiterunt.* Dum autem naves aliquot — longas fuisse puto — non modo existunt sed etiam consistunt adversae, ut milites, quibus completae erant, exponerent, circumvecti sunt levis armaturae milites navibus actuariis iis, quae (c. 62, 2) aggere completae erant. Hi igitur in exteriorem vallum tela jaciebant fossaeque aggere complebantur. *Circumvecti* autem recte dicuntur esse, quia, dum naves illae longae adversae consistunt, ipsi praetervehuntur eum locum, ut Caesarianos milites circumvenirent. Id quod Caesar superioribus diebus timuerat. (63, 2). — Interim milites *navibus* (sc. longis) *expo-*

siti faciunt quod praeceptum erat (c. 62, 3), progressique inter duos vallos aversos Caesaris milites depellunt. Diserte Caesar, ubi scaphas et actuarias naves discernit ab navibus longis, insuper Pompejum addit praecepisse *quid a quoque fieri vellet.* Expositi autem hi sunt milites non *per mare*, sed *per molem* (sic enim infra legendum), sive ab ipsis aggere in mare conjecto extructam, sive naturalem (cf. III, 40) aliquam, quam nacti sunt eo ipso loco, quo contra mare transversus vallus nondum erat perfectus. Sic demum, recepta ea, quam proposuimus, verborum emendatione ac majore interpunctione post *extiterunt* posita, distincte omnia videntur atque ex ordine demonstrari. Primum repentinus atque inopinatus et copiarum terrestrium et navium adventus ostenditur; deinde quid circumvecti milites, quid legionarii profecerint; denique quem usum, eumque gravissimum, naves longae ex consilio Pompei ante capto in summo rei discrimine praebuerint, exponitur. *Adversae* autem *naves* i. e. adverso rostro in aliquem locum directae saepe numero commemorantur. Cf. b. al. 15. *ut nulla transversa* (navis) *hosti obiceretur — sed semper venientibus adversae occurrerent.* ib. c. 46. *naves adversae nostris concurrerunt.* Et addito veniendi verbo ib. c. 45. *adversam ad se venientem navem animadvertit.* Constituendi denique vel consistendi vocabulo adjecto b. al. 14. *adversasque naves hostibus constituit.* b. gall. III, 14 *naves eorum profectae ex portu nostris adversae constiterunt.* Nec vero mirum, quod ex iis, quos hodie collatos habemus, libris mss. optimi fere unanimo consensu (a b d e) omittunt verba *novusque eorum.* Cum genitivo scilicet, qui videbatur esse, *Pompejani exercitus* artius conjungendam vocem *adventus* putavit librarius, qui archetypum eorum librorum scripsit, idemque *extiterunt*, ut suo *adventui* accommodaret, mutavit in *extitit.*

Lib. III. c. 69, 4.

Sinistro cornu milites, cum ex vallo Pompejum adesse et suos fugere cernerent, veriti, ne angustiis intercluderentur, cum extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, *receptu* sibi consulebant, omniaque erant tumultus, timoris, fugae plena, adeo ut, cum Caesar signa fugientium manu prenderet et consistere juberet, alii *dimissis equis* eundem cursum *confugerent*, alii ex metu etiam signa dimitterent, neque quisquam omnino consisteret.

Nullius momenti et prorsus supervacaneum est monere, eodem quo venissent itinere milites se recepisse. Quasi ulla eligendi itineris potestas atque optio relicta esset! Neque indicat quidem codicum lectio *receptu* vel *receptui* ipsum iter, quod interpretando demum atque supplendo inculcandum sententiae esset. Nam *receptu* nimirum nullo venerant, qui tum quoque non recipiebant sese servatis ordinibus, non honesto recessu sua castra repetebant, sed cum tumultu jam ac summo timore fugae se dabant. Sibi quippe consulit miles, cum immemor officii despondet animum, detrectat pugnam, signa relinquit suamque quam omnium salutem potiorem habet. Itaque quae sequuntur particula *que* explicandi causa huic ipsi sententiae adnexa non receptum neque iter sed fugam magno impetu praecipitatam loquuntur. Non potest, ut Caesar scripserit: *eodem, quo venerant, receptu sibi consulebant;* scripsit, nisi me omnia fallunt, *eodem impetu sibi consulebant,* qui tanto impetu venerant, ut *celeriter* aggressi Pompejanos ex vallo deturbarent et *virtute* vincentes primo in majora castra, post etiam in castellum irrumperent. Vide cap. 67, 4—6. et confer b. g. V., 18. *ea celeritate atque impetu milites ierunt.* Ibid. VI, 39 *Hos subsecuti calones equitesque eodem impetu militum virtute servantur.* VII, 28 *veriti, ne omnino spes fugae tolleretur, abjectis armis, ultimas oppidi partes continenti impetu petiverunt.* b. c. III, 9 *His expugnatis, eodem impetu altera* (sc. castra) *sunt adorti.* Quam usitata ea vox in talibus rebus sit Caesari, ex his satis patet.

Reliqua sic sunt in pristinam integritatem restituenda: *adeo ut — alii dimissis signis eundem cursum continuarent;* neque opus est cum Oehlero et Hofmanno scribere *demissis signis.* Nempe igitur Caesar, cum *tumultus, timoris, fugae* plena omnia fuisse tradit, tripartitum quasi orationis argumentum proponit, cui quidem exponendo tria haec altera subjicit enarrationis membra: *adeo ut — alii dimissis* (a Caesare sc., qui prehenderat) *signis eundem cursum continuarent,* tumultu iterum abrepti, *alii ex metu etiam signa dimitterent* Caesarisque in manibus relinquerent, timoris impotentes, *neque quisquam omnino,* ut in communi atque praecipite fuga, *consisteret.* — Quod libri mss. praebent *confugerent,* nihil est, neque vulgata lectio *conficerent* comprobanda. Nam qui conficit cursum, finem ac metam attingit, quod ab hoc loco prorsus alienum. *Conjungere* autem *eundem cursum* latine dici non posse, recte contra Nipperdeium monuit Hofmannus. Cujus ipsius, ut et Hauptii, conjectura longius a codicum scriptura abest. Nullum reperio verbum quod magis simul ad rem et ad literarum ductum congruat, quam *continuarent,* quod, compendio negligenter ubi exaratum fuit = *contūarent,* mutare in *confugerent* haud magni negotii erat. — Ne quis autem his opponat, actionem sic dimittendi, si legamus *dimissis signis,* ad subjectum *alii* referendam esse, vetatur id voce *eundem* statim adjuncta, quae plane demonstrat interruptum prehensis signis cursum dimissis demum continuatum esse. Aliter dicendum fuit: *alii dimissis signis cursum continuarent.*

Lib. III. c. 70, 1.

Pompejus — munitionibus appropinquare aliquamdiu non audebat, equitesque ejus angustiis *portis* atque his ab Caesaris militibus occupatis ad insequendum tardabantur.

Optimi codd., interque eos Paris. et Haun., habent *angustis portis;* et sic etiam ed. Tarvisina. Quae verba quum gravi mendo laborent, tamen non ita sunt restituenda, ut alterum eiciatur vel secludatur. Emendari ea posse non despero, collato loco I, 68 *itinera castris hostium oppositis tenebantur.* Ibi Caesar castris oppositis cogebatur magno circuitu exercitum ducere, hic equites Pompei *angustiis oppositis,* quae superari non posse viderentur, ad insequendum tardantur. Una littera *i* neglecta primum *op postis,* deinde omissa syllaba *op* nata est scriptura *portis.* Ac postulat sane cum numerus orationis atque membrorum concinnitas tum gradatio ea, quae inest in vocibus *atque his* (sive, ut in Tarvisina est *atque iis),* participium aliquod, quod comiti suo sequenti *occupatis* viam aperiat.

Lib. III. c. 75, 2.

His explicitis rebus duas in castris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas eodem itinere praemisit, parvoque spatio intermisso, ut et militare institutum servaretur et *quam serissime* ejus profectio cognosceretur, conclamari jussit statimque egressus novissimum agmen consecutus celeriter ex conspectu castrorum discessit.

Hanc Scaligeri coniecturam — *quam serissime* — omnes post eum editores receperunt; antiquiores edd. et jam Tarvisina (1480) constanter habent *ne citissima.* Correxit Faernus *ne citissime.* Ursinus autem in suis emendationibus testatur, in vetustissimo quo utebatur codice fuisse *citissime.* Utrum etiam *ne* an *quam,* non reperio. Nam in Notis Ursinis (ed. Jungerm.) affirmatur: V. C. habet *et quam suetissime.* Videtur pr. manu scriptum in Ursini codice fuisse, *quam citissime,* secunda *quam suetissime;* nisi forte in Notis hic alius cod. quam in Emendationibus laudatur; quod vix probabile. — Codd. Nipp. a b c d exhibent *suetissime* pro *citissime;* quibus Elberlingio teste accedit etiam Hauniensis, qui habet *quam suetissime.*

Jam vero videtur quidem Scaligeri emendatio bonum praebere sensum; sed ad unguem si resecare rem velis, non praebet. An potest, obsecro, ejusmodi consilium, ut *quam serissime* profectio cognosceretur, cum ipsa conclamandi actione conciliari? Nec est omnino Caesare dignus ille superlativus, qui ex uno Plinii loco XV, 17 (*Parentina* sc. *pira serissime legi)* affertur. His igitur de causis et quoniam in vetustissimis codicibus apparet fuisse *citissime*, altera iterum conjectura opus est, ut integra tandem restituatur scriptura. In fraudem Caesar hostes inducere vult eam, ut eo demum temporis momento, quo conclamari vasa jubet instituto militari servato, profectionem ipse meditari videretur. Hunc autem sensum efficies scribendo levissima litterarum mutatione: *ut — quasi certissime eius profectio cognosceretur*. Nam quasicētissime transposito siglo quāsicetissime aeque facile pariebat *quam citissime* et *quam suetissime.* — Ceterum cf. similes locos b. af. 27 *unam funditorum* (sc. aciem) *quae quasi adversariorum locum obtineret.* ib. 32 *ut quasi despexisse Caesarem videretur.*

Quae sequuntur: Neque vero Pompejus cognito consilio ejus moram ullam ad insequendum intulit; sed *eadem spectans,* si itinere impeditos perterritos deprehendere posset, eduxit e. q. s. — ea verba ne Hofmanni quidem emendatione *eodem* sana habeantur. Nam loci e Cicerone allati alia est ratio. Requiritur verbum quod affirmando augeat sententiam quae praecedit negativam. Itaque in mentem venit legere: *sed eodem properans, si — posset, eduxit e. q. s.* Certe inveterato vitio deformari locus videtur, ut vel audacius remedium haud prorsus respuendum sit. Nec absimili forma nimis remotam vocem *p̷perans* judicaveris esse a *spectans,* compendio si scripta fuerat.

Lib. III. c. 81, 3.

Ille *segetis* idoneum locum in agris nactus, *quae prope jam matura erat,* ibi adventum expectare Pompei eoque omnem belli rationem conferre constituit.

Omnem belli rationem aliquo conferre nullius est nisi imperatoris; ergo non potuit esse Scipionis, ut qui expectaret Pompejum, summum imperatorem, cuius ipse iura adrogare sibi non debuit. Quodsi post paullo Pompejus traditur suum cum Scipione honorem partitus esse, ipsa verba docent sponte id concessum non necessario factum esse. Nec in antecedentibus hujus capitis rebus aliter Scipionis quam obiter mentio injicitur. Quare si oratio ab iis, quae de Caesare memorantur, jam transitura ad Scipionis gesta esset, *hic* dicendus erat, non *ille.* Neque enim cum in rebus narrandis et exponendis ea pronomina inter se opponuntur, *hic* eum significat, qui proxime nominatus est, sed eum, qui nunc potissimum in alterius locum succedit. Narrantur vero quae a Caesare gesta sint Thessaliam intrante, et ad eum usque locum penetrante, ubi ipse Pompei adventum expectare constituit. Designari utique eum locum necesse est, ubi castra posuit Caesar; nec tamen in sequentibus ea res plane refertur. At Scipionem scimus (c. 80, 3) legiones adduxisse Larissam, quam urbem hoc ipso capite etiam tum teneri legimus magnis exercitibus Scipionis. Sic igitur statuo, pronomen *ille* ad Caesarem esse referendum, ut supra c. 1, 3 Caesar dicitur *restituisse in integrum, qui se illi* i. e. Caesari *initio civilis belli obtulerant.* Quod si verum est, de frumentis hoc loco atque adeo maturitate frumentorum verbum jam nullum fieri potest, quod neque Caesarem recepta omni Thessalia praeter Larissaeos inopia laborasse credibile est, et paullo post diserte relatum legimus, praeparatam ab ipso rem frumentariam esse (c. 84. in.). Et quis ullum unquam imperatorem crediderit in summo discrimine rerum, ubi decertandum esset de universa re, certum quendam castris atque certamini supremo locum elegisse, quod ibi frumenta essent *prope jam matura!*

Jacet locus noster graviore vulnere necdum refecto affectus. Simul aperiemus et sanabimus malum sic quae depravata sunt rescribentes et corrigentes:

Ille rei gerendae idoneum locum in agris nactus, qui praeruptus jam natura erat, ibi adventum expectare Pompei — constituit.

Abest quidem *segetis* a codd. optt. a b c; item ab Haun., qui tamen, id quod non praetermittendum, exhibet *erat* pr. m., secunda demum *erant*. Sed ad vocem *idoneum* requiri aut dativum aut praepositionem *ad* cum accusativo, nemo non intelligit. Et servant eam vocem, a recentioribus condemnatam, veteres editiones omnes, etiam Tarvisina, quamvis neque *segetibus* locus est et genetivus nullo modo defendi possit. Quid autem excogitetur et sententiae et librorum scripturae magis simile et congruens, quam hoc, ut Caesar *rei gerendae* quaesivisse locum idoneum et nactus esse legatur? Haec enim si olim siglis perperam exarata sic fuerunt *regete*, facillime inde natum est, quod in exemplaribus ad vetustissimos codices expressis extat, *segetis*. Ea autem vox post se traxit mutationem relativi *qui* in *quae*, ac cetera omnia. Nam *seges* videri vult *matura*, neque rem habet cum *natura* loci; *praeruptus* autem compendio neglecto (prupt) vitium debere videtur hoc, ut mox in *prope* abiret tanto proclivius, quod ante vocem *matura* proprie ac necessario fere sedem suam occupat. Caesar igitur, quae est consuetudo imperatorum, loco jam natura praerupto castra posuit, ut Scipionem supra (c. 37) *edito natura loco* posuisse legimus. Quod autem *in agris* refert se nactum esse eum locum, spectat id ad Scipionis rationem, qui Larissam tenebat. Caesar ut ex receptis Thessaliae oppidis hoc vel illud tenendum constitueret, tantum aberat, ut omnem belli rationem atque universae rei dimicationem in agris atque acie ponendam existimaret. Hoc autem majore cura atque circumspectione is locus erat eligendus.

Lib. III. c. 83, 1.

Postulavit etiam L. Afranium proditionis exercitus Acutius Rufus apud Pompejum, quod *gestum* in Hispania diceret.

Suspectus sane est locus, idque jure meritoque; non tam propter languorem sententiae, quam propter soloecismum orationis. Nemo enim eum, qui prodiderit exercitum, recte dicet gessisse aliquid sed perpetrasse. In libris autem mss. nullum discrepantiae vestigium. Relinquitur ut divinando conemur verum invenire. Nam tutius videtur esse mendum cum Ciacconio quam cum Grutero glossam agnoscere totamque relativam enunciationem relegare. Qua abjecta et hiat oratio nec satis commode explanatur, cur apud Pompejum potissimum Afranius postulatus esse perhibeatur. Atqui nomen ejus in fine sententiae positum magno effertur pondere, quod quo inclinet, frustra jam quaeritur. Hoc autem explicari poterat atque debebat ea ipsa sententia, qua de agimus, subjecta. Postulatus est Afranius, quod exercitum prodidisset non suum, neque populi Romani, sed Pompei. Neque enim ipse cum imperio Afranius missus erat proconsul in Hispaniam, sed legati munus atque officium susceperat exequendum in ea provincia, quae Pompei erat. Quodsi exercitum prodiderat, sive, ut Plutarchus vult, pecunia corruptus, sive ignavia sive alia de causa, culpam ac scelus commiserat in Pompejum ipsum, imperatorem suum. Denique, si recte rem perpenderis, criminatus est Rufus Afranium, desertum ab illo imperatorem prodito exercitu esse. Id si diserte enunciavit Caesar hac sua rerum narratione, jam non dubium est, cur Pompejo potissimum, cujus res agitur, eam criminationem oblatam esse demonstret. Itaque legendum: *quod desertum* (sc. Pompeium) *in Hispania diceret.* Proditio exercitus sic est causa atque argumentum postulationis; postulatio ipsa continetur crimine deserti imperatoris.

Lib. III. c. 97, 1.

Pompejani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco relicto monte universi *iuris eius* Larissam versus se recipere coeperunt.

Hanc optimorum codicum lectionem ex Wassii conjectura Nipperdeius mutavit in *jugis ejus*, quem Kranerus quoque et Hofmannus secuti sunt. At non licet, ut ego quidem arbitror, in ea emendatione acquiescere. Ut enim demus, ablativum nude positum, quamvis aliquid dubitationis afferat, recte habere; qui tandem possunt per ejus montis juga se recipere Pompejani, quem reliquerunt? Et qui poterant sperare in jugis se aquam habituros, cujus inopia pressi montem relinquendum constituerunt? Denique quo consilio Caesar instituit circummunire montem qui tantum aberat ut singularis ac secretus videretur, ut juga ejus ad Larissam usque pertinerent? Contra ea hoc pro certo posuerim, descendisse Pompejanos de monte aquarum penuria coactos, fugam autem continuasse per loca non aperta sed silvarum praesidio tecta. Jam vero quum continuo Caesar commemoret commodiore ipsum itinere suas legiones duxisse Pompejanisque occurrisse, horum quidem fuga procul dubio viarum difficultatibus impediebatur. Quid igitur, si legamus: *Pompejani — relicto monte universi inviis silvis Larissam versus se recipere coeperunt?* Cf. Liv. IX, 14. *non haec furculas, nec Caudium, nec saltus invios esse.* Et ib. XXXVIII, 2. *per invia — iter fugae non expedientes.* —

Lib. III, c. 112, 6.

Caesar loca maxime necessaria complexus noctu *praemunit. Nec tractu* oppidi pars erat *regiae exigua,* in quam ipse habitandi causa initio erat inductus, et theatrum conjunctum domui, quod arcis tenebat locum aditusque habebat ad portum et ad reliqua navalia.

Quid sit tractus coeli aut terrae aut maris, aut etiam castrorum et muri, non obscurum neque incertum; quo jure oppidi pars ea, quam quis complectitur praemuniendo, tractus nominetur oppidi, id quidem nulla divinatione assequor. Nam *totus ille tractus celeberrimus Venafranus* (Cic. p. Planc. 9, 22) palam significat omnes circa Venafrum agros vel potius omnes ejus regionis incolas. Neque ab ullo interpretum video explanari, cur exigua potissimum pars regiae in eo oppidi tractu demonstretur fuisse. Quid hoc ad rem? et quo tandem tractu reliqua et major pars regiae sita erat? An ab Caesare credamus divisam suis operibus in duas partes esse regiam? Haec equidem non expedio, liceat igitur conjecturam qualemcunque in auxilium vocare.

Habent opt. codices, et Haun. et Paris., *nec tractu;* unus deteriorum Nipperdeio teste *haec tractu*; praeterea in ed. Tarvisina reperio non *regiae* sed *regia exigua,* ut in promptu sit suspicari, olim scriptum fuisse: *regiaexigua.* Et annotat Oudendorpius: „*regia* mss. 3." His ad sententiam, qualem reliqua narratio flagitat, accommodatis hanc putaverim haud absonam a scriptoris proposito videri emendationem: *nam obstructa oppidi pars erat regiae vicus, in quam ipse* e. q. s. Cf. ad hunc locum I, 27 *vicos plateasque inaedificat.* Praemuniisse se, quod idem valet atque obstruxisse, Caesar diserte dicit loca maxime necessaria. Ac statim definitionis causa, interposita particula *nam,* subjungit quae dicat loca. Alia autem nulla erant, nisi ea quibus ipse habitabat, quaeque defensionis maximam opportunitatem praebebant. Habitabat autem Caesar regiam domum; regiae vicum igitur ante omnia praemuniit. Theatrum vero domui conjunctum, quod arcis teneret locum aditusque praeberet ad portum, et ipsum maximi erat momenti. Itaque hoc quoque inclusum est iis munitionibus, quas insequentibus auxit diebus.